

J. Medina
GS/14A

EXPOSITIO INTRODUCTIVA

17.10

De hominis condicione in mundo hodierno

4. (De spe et angore). Ad tale munus exsequendum, Ecclesiae omni aetate officium incumbit signa temporum perscrutandi et sub Evangelii luce interpretandi; ut modo unicuique generationi apto ad perennes hominum interrogaciones de sensu vitae praesentis et futurae deque earum ab invicem relatione respondere possit.

5 Oportet itaque ut mundum in quo vivimus necnon eius exspectationes, appetitiones et indolem saepe dramaticam quibus notatur cognoscamus et intelligamus. Principaliores guidam aspectus mundi hodierni sequenti modo delineari possunt.

10 Hodie genus humⁿum in nova historiae suae aetate versatur in qua profundae et celeres mutationes ad universum orbem gradatim extenduntur. Ab hominis intelligentia et creativa industria excitatae, in ipsum hominem recidunt, in eius iudicia et desideria individualia et collectiva, in eius modum cogitandi et agendi

15 tum circa res tum circa homines, ita ut iam de vera sociali, et culturali, et religiosa transformatione loqui possimus, quae in religionem rediuntur.

→ Ut in quavis accretionis crisi contingit, haec transformatio non leves secum fert difficultates. Ita, dum homo potentiam suam tamlate extendit, eam tamen non semper ad suum servitium redigere valet. Proprii cordis intima altius penetrans, saepe de seipso magis incertius appetit. Leges vitae socialis pedetentim clarius detegens, de directione eius imprimenda anceps haeret.

20 Volk: no es nuestra misión hacer otros jíicos.

25 Numquam genus humanum tantis divitiis, facultatibus et potentia oeconomica abundavit, et tamen adhuc ingens pars incolarum orbis fame torquetur et innumeri litterarum ignorantia plane laborant.

Numquam homines tam acutum ut hodie sensum libertatis habuerunt, dum nova interea genera socialis et psychologicae servitutis exsurgunt. Dum mundus suam unitatem necnon singulorum ab invicem dependentiam in necessaria solidarietate tam vivide

30 persentit, viribus tamen inter se pugnantibus gravissime in opposita distrahitur; etenim dissensiones politicae, sociales, oeconomicae, raciales et ideologicae adhuc perseverant, nec periculum deest belli omnia usque ad ima destruentis. Tandem sedulo perfectior quaeritur temporalis ordinatio, quin spirituale incrementum pariter progrediatur.

35 Ex tot implexis conditionibus, plurimi coaevi nostri impedimenta experiuntur in perennibus valoribus rite dignoscendis necnon in novis exsurgentibus componendis; exinde, inter spem et angorem

agitati, de praesenti rerum cursu sese interrogantes, inquietudine premuntur. Qui rerum cursus homines ad respondendum provocat, imo et constringit.

*François →
évolution
principales 1^{er}
cours de
la lettr.
yam.*

5.- (De profunde mutatis condicionibus). Hodierna animorum commotio et vitae rationis conditionum immutatio connectuntur cum magna rerum transmutatione, quae et mentes afficit per iam praevalentes scientias mathematicas et naturales vel de ipso homine tractantes, et quae ex altera parte actionem determinat per artes technicas.

Haec mens scientifica rationem culturalem modosque cogitandi aliter quam antea figit. Technicae artes eo progrediuntur ut faciem terrae transforment et iam spatium ultraterrestre subigere conentur.

Super tempora quoque homo quodammodo intellectus dominium dilatat: in praeteritum ope cognitionis historicae, in futurum arte prospectiva et planificatione.

Progredientes scientiae biologicae, psychologicae et sociales hominem non solum ad meliorum contribuant, sed etiam adiuvant ut, technicis methodis utendo in vitam societatum directe influxum exerceat.

20 Insimul genus humanum de proprio demographico incremento iam praeviendo et ordinando magis magisque cogitat.

Nova denique et aptiora communicationis socialis instrumenta ad eventus cognoscendos et ad modos cogitandi et sentiendi quam citissime latissimeque diffundendos conferunt, plures connexas repercussiones excitando.

Ipsa historia tam rapido cursu acceleratur ut singuli vix eam prosequi valeant. Consortium humanae ratio una efficitur et non amplius inter varias velut historias dispergitur.

Ita genus humanum a notione magis statica ordinis rerum ad notionem magis dynamicam atque evolutivam transit, unde quam maxima nascitur problematica nova complexio, quae ad novas analyses et syntheses provocat.

35 6.- (Mutationes in ordine sociali). Eo ipso communitates locales traditionales, uti sunt familiae patriarchales, "clani", tribus, pagi, varii coetus et consortium socialis necessitudines pliores in dies immutationes experiuntur.

Typus industrialis qui dicitur societatis paulatim diffunditur, quasdam nationes ad oeconomicam opulentiam adducens, et notiones

et conditiones vitae socialis a millenniis constitutas, penitus transformans.

5 Similiter vitae urbanae cultus ac studium augentur sive per urbium earumque incolarum augmentum, sive per motum quo vita urbana ad ruricolas dilatatur.

Socializatio indesinenter multiplicat et urget necessitudines hominis cum suis similibus, quin semper congruentem personalizationem promoveat.

Huiusmodi evolutio clarius appareat in nationibus quae beneficiis progressus oeconomici et technici iam gaudent, sed populos quoque movet adhuc ad progressionem nitentes qui suis regionibus beneficia industrializationis et urbanizationis tribuere cupiunt. Qui populi, praesertim antiquioribus traditionibus addicti, simul motum experiuntur in maturius personalis libertatis exercitium.

Nec tandem parvipendendum est factum ^{que} ~~hominum~~ ^{ex} qui, variis de causis ad migrandum inducuntur.

✓ 7.- (Mutationes psychologicae, morales et religiosae). Mutatio mentium et structurarum bona recepta et tradita frequenter in controversiam vocat, maxime apud iuvenes qui non semel ^{impetrant} ~~semel~~ ^{angore} rebelles fiunt, dum saepe parentes suis muneribus impares evadunt. Instituta vero, leges atque modi cogitandi et sentiendi a maioribus tradita non semper statui rerum hodierno bene aptari videntur; inde gravis perturbatio in modo et in ipsis normis agendi.

✓ 25 Novae conditiones denique ipsam vitam religiosam afficiunt. Ex una parte acrior dijudicandi facultas eam a superstitionibus adhuc vagantibus purificat et maiorem in dies personalem et effectivam adhaesionem fidei exigit; quo fit ut non pauci ad vividiorem Dei sensum accedant. Ex altera parte crebriores turbae ab usu religionis discedunt. Dei religionisve negatio, aut ab iisdem abstractio, secus ac transactis temporibus non amplius est factum singulare et individuale. Hodie enim non raro exhibentur quasi exigentia progressus scientifici vel cuiusdam novi humanismi. (et interdum quaedam potestates publicae negationem religionis ut doctrinam sibi propriam proponunt et imponere conantur). Haec omnia in pluribus regionibus non tantum in philosophorum sententiis exprimuntur, sed latissime litteras, artes, scientiarum humanarum et historiae interpretationem afficiunt ita ut multi perturbentur.

8.- (De inaequilibriis in mundo hodierno). Tam rapida rerum progressio, saepe inordinate peracta, imo et ipsa acrior conscientia discrepantiarum in mundo vigentium, contradictiones et inaequilibria gignit vel auget.

5 Frequentius oritur inaequilibrium in ipsa persona inter modernum intellectum practicum et theoreticam cogitandi rationem, quae summam cognitionum suarum neque dominari neque in syntheses apte ordinare valet. Oritur inter sollicitudinem efficientiae practicae et exigentiam conscientiae moralis, sicut inter conditiones vitae 10 collectivae multorum et requisita cogitationis personalis.

Discrepantiae oriuntur in familia, sive ex prementibus condicionibus demographicis, oeconomicis et socialibus, sive ex conflictu inter generationes quae sibi subsequuntur, sive ex novis necessitudinibus socialibus inter virum ac mulierem. Oriuntur 15 pariter inter stirpes et varii generis societatis ordines; oriuntur inter nationes opulentas et minus valentes ac egentes; oriuntur denique, inter instituta internationalia, ex pacis desiderio populorum exorta et cupiditatem collectivam vel ambitionem propriae ideologiae disseminandae; quod mutuas diffidentias 20 et inimicitias indesinenter fovet.

Ex his omnibus saepe oriuntur conflictationes et aerumnæ acerbissimæ quarum ipse homo simul causa est et victima.

9.- (De interrogationibus generis humani). Interea crescit persuasio genus humanum non tantum viribus naturae dominari imperiumque suum super res creatas in dies magis roborare posse 25 ac debere; sed insuper eius esse ut ordinem politicum, sociale et oeconomicum statuat qui in dies melius homini inserviat et singulos ac coetus adiuvet ad dignitatem sibi propriam affirmandam et excolendam.

30 Hinc plurimi acerrime exigunt illa bona quibus per iniustitiam vel non aequam distributionem, orbatos se esse, vivida conscientia, iudicant. Nationes in via progressus sicut et illae recenter sui iuris factae, bona cultura civilis hodiernæ non tantum in campo politico sed etiam in oeconomico partidpare et libere partibus suis in mundo fungi cupiunt, in dies tamen augetur earumdem distantia necnon persaepe oeconomica dependentia ab aliis ditioribus nationibus, quae citius progrediuntur. Populi fame pressi opulentiores interpellant. Mulieres sibi vindicant,

/et ruricole
ubi eam nondum sunt ~~constituta~~^{secu}, aequalitatem iuris et facti cum
viris. Opifices non solum victui necessaria comparare, sed labo-
rando dotes suae personae excollere, immo in ordinanda vita oeco-
nomica, sociali, et politica^{et culturali} suas partes agere volunt. Nunc enim
5 primum in historia humana populi iam persuasum sibi habent
civilis cultus^{nec} beneficia reapse ad cunctos extendi posse ac debere.

Sub omnibus autem istis exigentibus latet profundior et univer-
salior appetitio, personae enim atque coetus plenam vitam liberam
homine dignam sitiunt, proprio servitio subiciendo omnia quae
10 hodiernus mundus eis tam abundantiter praebere potest. Nationes
praeterea in dies fortius conantur ad universalem quandam communi-
tatem assequendam.

Quae cum ita sint, mundus hodiernus simul potens ac debilis
apparet, capax meliora et peiora agendi, daturque ei optio eligendi
15 libertatem aut servitutem, progressum aut regressum, fraternitatem
aut odium. Homo conscientius fit ipsius esse recte dirigere vires quas
ipse suscitavit et quae eum opprimere aut ei servire possunt,
atque seipsum interrogat.

*Nostrum
Aventum*
PATRIMONIO UC
20 Semper abs dubio homines intimis interrogationibus anguntur,
attamen interrogationum pondus, numerus, mutuaque dependentia vix
unquam tam graves fuerunt et tot homines attigerunt quam nostra
aetate. Quaestiones istae non ab omnibus eodem modo percipiuntur;
homines plerumque easdem persentiunt in concretis vitae et mortis ang-
ribus. Eaedem illos quoque ducunt qui mentem et actionem humani-
25 tatis ordinant ad novas solutiones proponendas. Quapropter istis
quaestionibus urget responsio, quippe quae momentum vitale habet.

Haec vere sunt quæsita quae diversis sub formis iterum iterumque
proponuntur: Quisnam est humanae vitae sensus? Quid homo socie-
tati afferre potest, quid ab ea exspectare? Quid progressus ad
30 humanam felicitatem?

Iisdem interrogationibus quas omnes homines, christiani vel
non, proponunt quibusque aliquid respondendum omnes suo modo
habent, Ecclesia, sibi conscientia de missione testimonii reddendi
Verbo Dei, qui est Christus, nuntium Evangelii offert. In eodem
spiritu, Concilium homines inquirentes adiuvare intendit.